


Agassiz
Facultate
Docendi


M.V.
159

ULB Düsseldorf



+1372 454 01





DE
CAVSSIS PHTHISEOS LOCALIS
FREVENTIORIS OCCASIONALIBVS
COMMENTATIO

CVIVS SECTIONEM PRIOREM
CONSENSV ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS

PRO
FACVLTATE DOCENDI
IN ACADEMIA FRIDERICO ALEXANDRINA

AD DISCEPTIONEM PUBLICAM
DIE XXIX. NOV. C¹⁷CCCLXXXI HABENDAM

OFFERT
D. JOANNES PETRVS AGASSIZ
ADSYMTO AD RESPONDENDVM SOCIO
JOANNE THEOPH. FRIDERICO WEILER
AVGVSTA - VINCELICO
MEDICINAE DOCTORANDO

ERLANGAE
TYPIS HILPERTIANIS

E. 159

Med. V 159

2 Be



DE
CAVSSIS PHTHISEOS LOCALIS
FREVENTIORIS OCCASIONALIBVS
COMMENTATIO.


SECTIO I.

§. I.

Sollicitam caussae morbi inuestigationem in affectionis et
remediorum cognitionem deducere amplissimam, iure
optimo monuit CELSVS. Fatendum quidem est, medicum
summa ingenii acie et perspicacia instructum, diagnosin saepe
omnibus numeris absolutam fistere, atque morbum eiusque
caussas intime, penitus intelligere, licet ad felicem me-
delam saepissime haec haud sufficient. Perperam autem ni-
hilominus et praecipitanter aliquis argumentaretur, super-
fluum igitur atque spernendum esse caussae scrutinium, va-
nam symptomatum attentam comparationem atque combina-
tionem et inutilem meditationem in phaenomena morbum
praesentem solum comitantia. Manet omnino veteribus, et

A.

potif-



potissimum HIPPOCRATI, sua laus, qui, et si permultis adiumentis carerent, quibus hodie fere abundamus, sedulo tamen in morborum naturam, signa et caussas inquisivere, sive genium morbi, subiecta, temperiem, aetatem, assidue ponderauere. „Qui caussas morbi probe cognoverit, „valde potens est ea afferre, quae corpori commodent, „nimirum contraria morborum natura perspecta ^{a)}. Quare, ut in rimandis atque detegendis caussis morborum summam collocet medicus industriam atque indefessam diligentiam, necessum est. Pendet exinde aegrotantium curae ipsi traditorum salus, fulcitur tali contentione rationalis curatio atque methodus. Quodsi nempe juxta praestantissimorum medicorum opinionem sanatio morbi pendeat a remotione causiae proximae, sequitur quod medicum oporteat hanc caussam detegere antequam curationem aggrediatur, nisi scientiam medicam in tristem empiriam relabi velit. Detecta autem caussa morbi in facienda medicina, iudicium de morbi exitu insimul stabilitur atque confirmatur. Contingit nonnunquam ut morbus oculo fugitivo visus a medico inter leuiores referatur, ita ut sanationem promittat; si quis autem exactius eum examinauerit, eiusque caussam denudauerit ad quam remouendam artis praefidia imparia deprehenduntur, maxime sonticus et immedicabilis inueniatur. Dum itaque secundum HIPPOCRATEM *verae prædictiones admirationem*, falsie autem desperationem pariant, viro probo, de propria fama tuenda atque seruanda sollicito semper curae cordique esse debet, caussam affectuum, quorum curationem in se suscepit, eruere, ut prognosin si non iucundam, certam saltem, formare queat. Accedit præterea,

^{a)} HIPPOCR. Lib. I. de flatibus Cap. II.

terea, quod caussa rite perspecta ast ita comparata, vt effectus, siue morbus exinde ortum trahens, medicationem plane non admittat, aptior tamen euadat medicus ad rimanda symptomata, quibus stipatur, et multo magis, quam scrutinio caussae neglecto, intelligere valeat, quae a caussa morbi, a morbo ipso, a medendi methodo adhibita, a naturae moliminibus, denique a causis externis pendeant. Nascitur inde rationalis atque congrua methodus palliativa, qua, licet malo inueterato et altas radices habenti nimis fero medicina paretur, tamen symptomata urgentia lenire atque ea, quae non indissolubili vinculo cum morbo iunguntur, auferre molimur.

§. II.

Maxima autem emolumenta, me iudice, ex disquisitione principiorum morborum, seminii scilicet morboſi, et potentiarum nocentium, expectanda sunt. Medicus enim, qui morbum imminentem, quem quis alias non effugisset, auertit, vti mihi videtur, non minorem meretur gratitudinem, quam qui morbum eundem iam praefentem tollit. Solida nempe cognitione imbutus, habita ratione naturalis fibram constitutionis, solidorum texturae et fluidorum mixtionis, diaetam sic instituere iubet, vitae genus tale commendat, vt fint morbis contraria in quos aliquis ob *prædispositionem* incidisset, siveque morbi accessum impedit. Scimus e. g. *homines alatos*, quod iam olim docuit medicinae pater, ad haemoptysin et subsequentem corporis emaciacionem, maxime esse proclives. Quodsi itaque iuuenis obuiam nobis veniat, cuius frons lata atque patens, sed circa tem-



pora magis collapsa, retracta et quasi euacuata appareat, ossa Zygomatica autem promineant, genae depresso rubeant, natus similiter depresso sit et mentum quasi resurgens ac prominens; qui praeterea collo longo gaudeat, cuius claviculae prominentes nulla carne tegantur atque scapularum angulus inferior nudus sit, ita ut manum supponere possit, merito sane concludimus, talem iuuenem ob congestionem sanguinis versus thoracem in iuuenili aetate maiorem, accidente causa occasionali, sanguinis sputionem difficulter esse vitaturum, ideoque, spei quam ipse et parentes de longaeuitate sua alunt, haud fidimus. Contingit nihilominus aliquando, ut sollicite fugiendo ea, quae fluidum vitale orgastice commouent, eiusue accumulationem circa pulmones efficiunt, salui atque sospites ad seram senectutem perueniant eiusmodi homines ad haemoptysin licet quam maxime praedispositi. Strenue nimirum premunt vestigia, quae ipsis commendantur, ea semper via ingrediuntur, qua ab effectibus nocivis potentiarium nocentium quae haemoptysin efficiunt sibi cauere possunt, sique bona gaudent sanitatem; Illam autem viam medici in caussarum occassionalium scrutinium debitum studium collocantis prudentia, saepe delineauit.

Haec dum meditor, ex grata cogitatione quadam non mediocri afficiar laetitia. Spem scilicet alo dulcissimam, agmen morborum quos proh dolor inter insanabiles numerare necessitas iubet, imminui posse. Si enim verum est hominem a caussa quadam nociva nullum plane damnum experiri, quamdiu illam effugit, quodsi praeterea caussae morborum insanabilem licet generaliores ita saepissime compara-


ratae

ratae sint, vt facillime possint vitari, necessario sequitur, eum haud prorsus inutilem fuscipere laborem, qui in enucleandis caussis talium adfectuum desudat, iisque cognitis conterraneos monet vt ab illis sedulo sibi caueant. Sic in nostra regione Phthisin frequenter obuenire, tristi confirmatur experientia, ita vt maxima pars eorum, qui apud nos fato cedunt, diro hoc morbo eripiatur. Plurium aegrotantium curam equidem quotidie gero, vix autem vllus vnumquam morbus mihi innotuit, contra quem infeliciori euentu conflictatus sim, quam Phthisis ^{b)}. Eadem cum sit reliquo-

A 3 rum

^{b)} Sex iam elapsi sunt anni e quibus haud prorsus infelici successu praxin medicam exerceo. Ex aegrotis, autem mihi morte ereptis plus quam tertia pars phthisi periiit. Solent in quibusdam vrbibus sub finem cuiuslibet anni edere tabulas, quae eorum, qui in decursu anni extincti morte erepti sunt, catalogum exhibent (*Mortalitätslisten*). Quodsi vero, vt equidem maxime haberem in votis, in tali negotio fuscipiendo morborum rationem redderent, qui illos eripuerent, eluceret exinde quinam morbi in quauis regione endemii sint atque solo suum debeat ornatum. Eluceret praeterea vti nullus dubito, perplures homines phthisi interire, non apud nos fo-

lum, verum etiam in aliis et remotoribus regionibus, quemadmodum eadem cauffae occasioneles, quas infra recensebimus, ibi quoque agunt. Etenim phthisin fere vbiique terrarum frequentissime obuenire arbitror, quoniam in quovis climate varii extant homines qui varia agunt negotia et diuersis vltiae generibus dediti sunt, quorum perplura regurgitationi et collectioni humorum in thorace, ideoque et phthisi fanent. Iam itaque datur suspicioni locus, maximam hominum partem phthisi encari. Nolo quidem huic conjecturae iusto diutius insistere, ast vnicum silentio praeterire nequeo. Nostrum scilicet solum atque clima cum BEROLINENSI saepe comparent



rum et praestantissimorum Medicorum nostratum querela,
circa causas phthiseos localis frequentioris occasio-
nales
saepe meditatus sum, simulque cogitauit de earum remotione,
quae

rant, quae si fundamento quodam
nitatur comparatio, debent tabu-
lae illae berolinenses de phthisi ibi
admodum frequenti testari. Ad man-
us autem est opusculum aestu-
tissimum, quod sub inscriptione
Berlinische Monatschrift edunt Ven.
GEDIKE et Cel. BIESTER,
quod eiusmodi catalogos defunctorum,
habita ad morbos ratione,
continet, quorum summa haec est:
a Calendis Decembribus 1779 usque
ad Calend. Decembr. 1780 4666
fato cesserunt, quorum 1169 phthisis
et pectoris adfectus Berolini
enecauerunt. Anno 1781 inter
4527 1119 iisdem morbis perie-
runt, qui vero 1782 ex 4704 1352
et anno sequenti 1783 ex 5129
1313 eipuere. 1784 phthisi pul-
monali 126, tabe 791, aliis mor-
bis pectoris autem 578 (1495) ex
496 defuncti sunt. 1785 phthisis
pulmonary 139, tabes 809, morbi
pectoris 573 (1521) ex 6077 susti-
lirunt; anno denique 1786 phthisi
pulmonary 214, tabe 828, morbis
pectoris 468 (1510) diem obierunt

supremum ex 5129. Quae cum ita
sint, haud quidem plane absonta
videtur illa soli Erlangenfis cum
Berolinensi collatio, quatenus ni-
mirum ex simili effectu ad causae
identitatem valet coniectura. Tan-
tum autem abest ut aeris et cli-
matis berolinensis atque Erlangen-
fis insalubritati exinde adscribi de-
beat phthiseos frequentia, ut e
contrario multo magis illam ab
aliis potentibus nocentibus pendere
valde persuasum mihi sit.

Neque est ut conqueramur nos
prae aliis esse infeliores, quod
apud nos tantummodo phthisis tot
tollat homines. Sic enim e. g.
Stutgardiae anno 1781 ex 581 129
quoque Phthisi interisse lego in
III. SCHLÖZER *Briefwechsel* N.
X. 1782. Immo eadem est Amer-
icae incolarum fors. Ita enim
Medical Papers communicated to
the Massachusetts medical society,
Boston, Number I, testantur de
phthisi in America quotidie fre-
quentiori.

quae vti mihi habeo persuassimum, non omni respectu impossibilis est. Et quoniam in praesenti pro impetrata ab Illustri Medicorum ordine in Academia Friderico-Alexandrina, facultate docendi, specimen medici argumenti edere iubear, non incongruum duxi meas qualescunque meditationes placido eruditorum examini submittere. Quodsi autem L. B. expectationi haud satisfaciam, vt nihilominus haec mea conamina in bonam partem accipiat, et si qua in re deliquerim, aequi tamen consulat, vehementer opto.

§. III.

Phthiseos nomine salutamus corporis emaciationem et debilitatem, cum tussi, febre hectica et expectoratione purulenta plerumque coniunctam ^{a)}. In omni phthisi obseruatur corporis contabescientia, siue plus excernatur, quam adponitur, siue elaboratum nutrimentum et adpositum, citius destruatur iterum, secedat atque dissipetur, siue denique omnis nutritio plane cesset, quatenus nempe morbus ab hac vel illa caussa dependet. Frequentissima quidem apud nos haemoptysis phthisis est sequela, ea ratione qua caussae occasionales illi adfectioni ansam praebentes et mox allegandae, abundant. Dantur quoque phthises, in quarum decursu, ob materiei ad pulmones congestae acredinem et muci in trachea et pulmonibus praesentis depravationem, vasa pulmonalia eroduntur, sicque haemoptysis Phthisi iam prouectiori superuenit. Tantum enim abest, vt omnis phthisis, quam hic obseruare contingit, malo atque viceroso pulmonum habuiti

^{a)} CVLLEN Kurzer Inbegriff der medicinischen Nosologie T. I. p. 217.

bitui natales debeat, vt potius permulti phthisici moriantur, quorum pulmones post obitum naturalibus penitus similes deprehenduntur. In phthisi pituitosa e. g. cuius symptomata et caussas egregie exposuerunt beatus MVRRAY et Cl. WICHELHAVSEN, plane nullus datur suspicioni locus pulmonum exulcerationis, quae si aliquando eueniat, morbus ex phthisi vlcerosa et pituitosa iam complicatus oritur. Praeterea autem phthiseos siccae, exanthematicae, rheumaticae, arthriticae, hepaticae, ictericiae, hypochondriacae, scrophulosae, chylosae, scorbuticae et syphiliticae mentionem fecerunt Cl. SAVVAGESIVS^{d)} et CVLLEN^{e)}, quae etiam apud nos nonnunquam obueniunt. Sic, vt quaedam inter plura adducam exempla, vidi ante aliquot menses ex febris intermittentis suppressione intempesta, phthisi hepatica virum athleticae constitutionis perire. Vidi ab exanthematis serpiginosi retrocessione virginem in phthisin incidere, quae illo reuocato ad sanitatem rediit. Vir juuenis tussi pertinacissima dirisque in pectore doloribus excruciatus, simulque quam maxime emaciatus est, ob acrimoniam scorbuticam, antea oculos occupantem, nunc vero ad pulmones delatam, quem morbo adpropriata remedia restituerunt. Phthisin denique scrophulosam ab haereditaria dispositione, haec dum scribo, video in iuuene, qui meae sese commisit curae.

§. IV.

Iam vero singularum caussarum occasionalium disquisitionem atque examen suscipere officii ratio postulat, quae vero multo

^{d)} Nosologia methodica fistens


Morborum Clasies, genera et species, ^{e)} l. c.
cies, Amstelodami 1763.

multo magis in homines, quam in solum et clima cadunt, uti ex sequentibus apparebit. Etsi enim AEREM ERLANGENSEM ab exteris, immo etiam ab vrbis nostrae incolis ignaris, quam maxime inculpari sciam, haud tamen difficile erit, demonstrare, nihil fere eum ad phthiseos apud nos frequentiam conferre. Sita nimurum est Erlanga nostra in vmbilico fere, non tantum Franconiae, sed et totius Germaniae. Poli eleuationem quod attinet, Erlanga numerat gradus 28 cum 43 minutis sic dictae longitudinis et 49 gradus cum 26—27 minut. latitudinis. Neque etiam de climatis asperitate conqueri fas est. Neque enim calor aestiuus nec hiemalis algor ita modum excedunt, vt plures morbos inde nasci videamus, neque denique frigoris cum aestu alternationes subitaneeae, quas grauissimis affectibus ansam praebere nemo ignorat, Erlangae quam alibi multo frequentius eueniunt ^{f).}

Neque etiam patria vrbs inter locos humiliores referri debet. Docuit me Perill. DELIVS (quem nunc morte Orbi litterario eruptum lugemus) in barometro ad iustas regulas constructo, et in pollices lineasque duodecimales ad Parisiensium mensuram diuiso, ante annum 1766 secundum plurium annorum exactam obseruationem, mercurium in tubo

^{f)} Nunquam Erlangae obseruatum est Mercurium in thermometro Fahrenheitiano ultra 51 gradum, qui est 46 du Crestii, infra congelationis punctum, descendisse, quemadmodum de hydrargyro vi.

tra 98 et dimidium gradum supra illud punctum eiusdem thermometri ascende nemo recordatur; Prius accidit die 30 Decembris 1783, hoc die 23 Iunii 1790 euenit.



tubo vitreo non ultra 27 poll. 8 ad 11 lineas hic ascendisse, et haud plus dupli vice contigisse, vt tempore nebuloso vel Zephyro flante, hydrargyrum ad 26 poll. 2 vel $1\frac{1}{2}$ lin. descenderit. Anno autem 1769, et quidem mense Nouembris euenit, vt ad 25 poll. 10 lin. peruererit ^{g)}. Quodsi itaque, vti ex principiis physicis euistum est, eo magis in barometro argentum viuum ascendat, quo maior sit aeris illud prementis columna, merito quoque Vir beatus exinde concludit Erlangam inter locos humiliores non esse numerandam, quia mercurius ultra 27 poll. 8 ad 11 lin. in barometro non ascendit, quod in regionibus profundioribus saepissime euenit.

Nullum itaque ex aere nimis tentui, pectori vere inimico, sanguinis ad pulmones redundantiam, respirationem difficultem, asthmaticos insultus, haemoptyses, peripneumonias ideoque et phthises saepe caussante, damnum expectamus, quae si oriantur mala, alias sane caussas agnoscunt. Aer enim, quem spiramus, moderate grauis est, qui ad respirationem facilitandam et liberum sanguinis per pulmones atque totum corpus transitum, multum conferre putatur, eadem ratione quo iusto tenuior, quod peripheriam corporis nostri minus premat, accumulationi et congestioni humorum faciet, hinc saepius violentum ad thoracis cavum fluidi vitalis affluxum, et quod in montium apice nonnunquam obseruatum est, sanguinis spuiciones et subsequentes phthises atque grauissimos pectoris affectus inducit ^{h)}; etsi alii iterum in montium apicibus spiritum facillime trahant.

§. V.

^{g)} Media altitudo barometri est ^{h)} Cuncta haec vberius exposita inuenies in Cl. FLEISCHMAN-

§. V.

Quae de aeris nostri salubritate quoad gravitatem eius effatus sum, ea quoque de puritate quo minus affirmem nihil impedit. Plateae spatiostae ita sunt constructae, ut regularitatem, pulchritudinem munditatem et amoenitatem si respicias, cum quavis fere Germaniae vrbe certare queat Erlanga. Potest aqua pluviatilis facile defluere. Cura magistratus tempore pluuioso stercoreae atque lutulentae plateae depurgantur exque illis coenosum abigitur. Paludes et aquas stagnantes, quae vaporibus et exhalationibus putridis summovere noxiis alias regiones infestant et incolarum sanitati damno sunt, nostra vicinia non alit.


Quantum aeris depurationi et correctioni venti faueant, inter omnes est notissimum, quam apud nos aedium altitudo, quod quidem in pluribus ciuitatibus euenit, non impedit. Debemus praeterea ventis salutarem illam depurationem, absque quod mala ab iis simul nobis metuenda sint, quae qui montes inhabitant aut humiliorum locorum incolae, frequenter patiuntur. Nociuas acresue particulas haud aduehant, quod vicinia sana vt plurimum gaudemus. Austrum, qui ob caliditatem et humilitatem corruptionem fluidorum, solidorumque relaxationem admodum promouet, raro experimur ².

B 2

Patet

MANNI, Physici Erlangensis meritissimi, Dissertatione, de aere, aquis, locis et salubritate Erlan-


gae, quam 1766 sub Praesidio b. DELII ventilavit.
i) Cl. FLEISCHMANN l. c.
p. xi. sq.



Patet ex iis, quae de grauitate atque puritate aeris nostri diximus, aere Erlangenses frui, qui Phthiseos, quae adeo frequenter obuenit, rationem et caussam haud continet. Nolo quidem plane inficiari siccitatem eius aliquatenus in censum hic venire, et medici in enumerationem caussarum occasionalium, quae morbis pectoris fauent, studium collificantis, attentionem mereri. Tantum autem abest ut aeris nostri siccitas perpetua sit, ut potius perraro de ea conqueri fas sit, et noxia euadat. Obseruatur maxime durante aestate, et sine dubio viatores plus damni exinde capiunt, quam ipsi Erlangenses. Praeterea autem, quemadmodum notissimum est, Viennae, iussu diui Josephi, et Londini, plateas aqua humectari, quando aer siccus nimis est, ad praecauendas noxias ex inspiratione aeris iusto siccioris et pulueris nubis instar nonnunquam dissipati, ita idem remedium cura magistratus quoque apud nos posset in usum vocari, sive siccitati aeris nostri, quae aliquando, licet rarissime, pulmones male afficere potest, optime atque feliciter mederi. Cui si satisfacerent desiderio, quoad aeris nostri salubritatem, qui omni alio respectu insons est, sane nihil amplius optandum esset.

Apud nos in morem venit, quod quidem admodum dannandum est, ut aeri atmospherico liberiori fere quemuis aditum saepe denegent, inque conclaibus hominum multitudine atque frequentia fartis, optimo vitae pabulo, summoque sanitatis praesidio, aere scilicet puriori, careant nostrates. Quod vero pauperibus in primis et vilioris conditionis urbis incolis solennius est, quam reliquis et honnoriibus. Frustra quotidie eos adhortamur, frustra illis
aegro-

aegrotantibus medicamenta propinamus, eosque ad sanitatem reuocare studemus, quamdui aeris depurgatio negligitur. Tanta eorum est obstinatio ut neque admonitionibus, neque precibus, neque enumeratione morborum et infirmitatum, quas sibi ipreparant, flectere eam nobis contingat. Cui vero obstinationi vti mihi videtur ansam praebuit methodus medendi calefaciens sub finem saeculi decimi septimi inque principio praesentis inter Medicos solennis. Magni semper faciunt quae antiquitatem redolent, maiorum vestigia strenue premere sese applicant, sibique persuasum id habent, nihil recti sanique haberi posse, praeter antiquorum effata, omniaque felicissime ipsis cessura esse, si illis obtemperent. Qua de caussa adeo saepe conflixtamur cum inueteratis prae-iudiciis, et quod maxime dolemus haud raro in casum! Quae autem mala ex aere hypocausti incluso oriri queant, facile quilibet perspiciet, quia pessime pulmones a quo quis aere impuro afficiuntur. Impurum autem maximeque fonticum aerem hypocausti, si multi homines in conclavi coacer-vantur, ob eorum exhalationes, necessario euadere, nisi cum atmosphaericо liberiori commutetur, per se patet; id-que eo magis si quod plerumque euenit, ob calorem insimul sanitas detrimentum exinde capere possit. Respiratio in eiusmodi aere incluso atqne impuro vtplurimum valde tur-batur atque difficulter peragitur, stases humorum efficiuntur et morbi ortum trahunt frequentes, quos inter adfectus pe-ctoris varii, inprimis vero tusses pertinacissimae, hae-moptyses et phthises, haud vltimum tenent locum. Quodsi praeterea aliquis tali morbo antea laborans, et quidem per aliquod temporis spatium iam illo detentus, aerem ita de-prauatum inspirare coactus sit, fieri nequit quin morbus al-



tiores radices agat , destructio in pectoris organis vterius progrediatur sive fatum acceleretur.

Quare aerem hypocausti inclusum, quemadmodum plu-
rium malorum rationem saepe continet, non immerito sane
inter caussas occasionales phthiseos, quae morbis crebriori-
bus adnumerantur Erlangensibus, refero, illique adscribo, quod
haud raro breuissimo interuallo enecentur phthisici, idque eo
magis , quia pauperum phthisi pereuntium maior sit numerus.


§. VI.

Eadem est aquae quam aeris Erlangensis salubritas , neque
vlo modo phthiseos apud nos frequentia ab illa deriuari
potest. Varia quidem aquarum nostrarum indoles est, qua-
tenus pro fundo arena est, siue saxum arenarium, siue ar-
gilla, siue limus, siue denique terra alcalina. Custodiunt
fere omnes aquae nostrae, quas ex puteis per totam urbem
vbique distributis haurimus, nitrum. Aquas autem nitrosas
sanitati fauere et salutares esse, si parua tantum quantitate
nitrum contineant, omnes medici mecum consentiunt,
quemadmodum damna ex haustu aquae, quae examini sub-
missa, nitrum nimis copiosum exhibit, quaeve ventriculo
et digestioni admodum inimica est, metuere non debemus.
Quatuor enim e. g. librae aquae cuiusdam euaporatae vix
quinque grana relinquebant sedimenti flauescens. Illud
autem et sponte in deliquium abibat et aqua destillata iterum
soluebatur et lenissimae euaporationi et crystallisationi com-
missum; statim veros nitri crystallos monstrabat, qui vti et
integrum sedimentum, lucida flamma in carbone detona-
bant.

bant ⁴⁾. Praeterea autem alia quoque bonitatis et salubritatis criteria aquis nostris insunt. Sonticae habentur aquae vitriolicae. Rarissime autem tales apud nos inueniuntur. Plurimae aquarum nostrarum ita sunt comparatae ut Gallarum puluis nigredine eas non inficiat, violarum syrpus ab iisdem non mutetur, neque ab oleo Tartari per deliquum, neque a spiritibus acidis turbentur, quamquam ab argenti solutione lactescentem colorem induant ⁵⁾. Hinc nullus plane dubito aquas nostras, quae inodora, clarae, pellucidae, gustui gratae et tactu molles sunt, inter salubres referre, ita ut causa phthiseos crebrioris minime ipsis tribui queat.

Reliqua potulenta similiter vix illa ratione inculpari possunt. De vinorum prava indole et mangonisatione noxia apud nos conqueritur nemo. Largitur vicina Franconia vinum, quod inter generosa numerare fas est, et ab exteris quoque magni aestimatur adque eos exportatur. Impedit autem pretium quo venditur, quo minus ex vini abusu et immodica ingurgitatione damnum capiat Erlangenfum sanitas, ita ut iure adfirmari possit optimo, admodum mediocrem vini copiam apud nos consumi. Qua de re sincere nobis gratulor, etenim valde persuasum mihi est, potum vini quibusdam opificibus, quorum permultos numerat Erlanga, ob vitae genus quod agunt et labores quibus vacant, haud conducere. Abstinenter autem rebus domesticis coacti a vino nostrates, siveque propriae sanitati opti-

⁴⁾ CL. FLEISCHMANN ibid. ⁵⁾ ibid. eod.




optime consulunt, exque vini abusu vix ullus phthisicus apud nos periit.

Vtinam de spiritus frumenti haustu idem dicere possem! Ast iubet summopere vnicuique scriptori commendanda veracitas, contrarium effari. Noli autem vniuersim omnes patriae vrbis incolas abusus spirituosorum accusari. Tantum abest vt omnes ciues indiscriminatim eiusmodi ebriositati sint dediti, vt paucissimi mihi innotuerint, inter honestos, qui hoc vitio laborent. Pauperes vero et vilioris conditionis homines eo frequentius spiritum frumenti hau- riunt et intemperiei poenam luunt. Multiplici nimirum ratione illud potulentum morbos illis parit. Solida nempe stringendo, digestionis organa debilitando, fluida orgastice commouendo et quod necessario exinde sequitur ad ea loca congerendo, quae minus resistunt, mala grauissima inducit. Quodsi enim vir, cui res angusta exigua tantum alimenta praebet, digestionis vires labefactat per illius liquoris abusum, et praeterea vitae genus sedentarium agit, facillime omnino corpus eius emaciari inque phthisin eum incidere, ob depravatam digestionem et impeditam nutritionem, necesse est. Quibus adde opifices nonnullos ob artem mechanicam, quam exercent, ad pectoris adfectus magis esse praedispositos, quemadmodum infra vberiori commentatione expositurus sum. Ponamus e. g. tibialium textores, pistores, lapidicidas e. s. p., quorum pulmones a puluere gossypii, farinae atque lapidum male afficiuntur, spiritu frumenti abuti eorumque sanguinem exinde valde commoueri, sane tusses, sanguinis spuitiones atque phthises huius abusus esse pedissequas, quis non intelligit? Quae cum ita sint phthiseos

feos apud nos frequentiam quodammodo haustui spiritus
frumenti iure tribuo.

Vsitatissimum potulentum autem, quo Erlangenses delectantur est cereuisia, quam salutarem praedicare nullus dubito. Praeparant *albam* cereuisiam et *brunnam*. Illam praecipue ingreditur triticum, haec aromatica magis est exque polenta tosta et lupulo conficitur. Quoniam alba adfectus flatulentos saepe efficit, praestat brunna, quam ideo multo frequentius atque copiosius hauriunt. Phthisis cereuisia vix unquam inducit. Est mihi e contrario suspicio illa plures adhuc esse interituros, nisi potus cereuisiae nostrates ab iniuriis, quibus artium illarum exercitium peretus offendit, illud tueretur, et cereuisiam modice haustam, iis qui morbis pectoris chronicis detinentur et emaciati sunt, maxime conducere. Etenim cereuisia nutriendo, humectando, acrimoniam corrigendo atque involvendo, multum prodest. Vidi plus vna vice homines tenues atque macilentes, beneficio hujus liquoris, cui antea inassueti erant, robustiores atque floridiores euadere. Vidi juvenes ex regionibus a nostra remotioribus, quibus volupe erat apud nos fideliter discere artes, Erlangam petere, qui non adeo firma et athletica constitutione gaudere videbantur, vinum cum cereuisia, quae ipsis nondum innotuerat, commutare, vegeta heic frui sanitate et firmiores atque alacriores multo a nobis discedere, ita ut cereuisia omnino conferat ad tuendam et seruandam commilitonum nostrorum valetudinem. Rarissime sane apud nos euenit vt in phthisin vnu siue alter ex commilitonibus incidat, ita vt merito contendere possim, academiam Erlangensem quoad



salubritatem loci quam maxime esse commendandam. Quodsi autem phthisi eaque proiectiori jam dudum detenti hanc musarum sedem petant, quemadmodum nonnunquam obseruaui, quid mirum eos mori et fato cedere, quod nullibi terrarum euitare potuerint?

Non idem quod de nostra cereuisia dictum est valet de cereuisiis nonnullis quae apud vicinos quosdam parantur. Licet enim palato magis blandiantur, sanitas eo maiora et cerebriora damna ex earum ingurgitatione capit, quod spirituosiores sunt, ideoque ob orgasmum quem efficiunt nocent, et partes praeterea sulphureas habent admixtas. Si quis illis inassuetus eas haurit, durante noctu sudoribus difflit et postridie cephalalgia excruciat. Hinc quoque paucissimi in praesenti apud nos extant, qui eiusmodi cereuisiis, ne sanitas exinde laedatur, bibunt, inprimis ab ultimo decennio, ita ut re vera contendere possim phthiseos frequentiam a cereuisia haud dependere. Neque etiam quod inter mangonia quam maxime dolosa pertinet, cereuism aloe et semine coculi vitiatam, apud nos vendunt, quam alibi nonnunquam distribui adfirmant.

§. VII.

Restat ut quoque alimenta quibus nutrimur ab imputatione absoluem. Carnes, quibus vescimur, omnis labis expertes sunt. Panem bonum quotidie parant ex farina pura, obsonia fere quaevis atque olera largitur vicinia nostra, lac adferunt pagorum adiacentium incolae (quod equidem velim non in vasis cupreis stanno obductis transportari), fera-
rum

rum denique greges in sylvis nostris obambulant atque Regnesus pisces continent optimae indolis. Quae cum ita se habeant, phthisin ex alimentorum penuria aut depravatione haud oriri, in aprico est. Quibus vero plane non inficiar ex erroribus diaeteticis crebrioribus maiorisque momenti, nasci posse ad phthisin et emaciationem dispositionem; quod autem apud nos sane rarissime, (si vñquam) euenit, quia nullo modo possunt accusari Erlangenses, quod gulæ ultra modum indulgeant. Ast hoc silentio praeteriri non debet, plures ex pauperibus, quorum quaestus haud sufficit ad comparanda ea, quae ad laute et splendide viuendum requiruntur, ab esculentis et alimentis nutrientibus saepe lubentius abstinere, quam a Coffeae potu. Noui plures ex illis qui per nycthemeron praeter illam decoctionem nihil nisi aliquantulum panis ingerebant. Quod autem male exinde nutriantur facile erit demonstratu, dum eos, qui potu Coffeae delectantur, lixiuum tantummodo ab omni vi nutritente destitutum accipere, euictum sit. Hinc quoque haud omnino temerariae conjecturae insistere mihi videor, si de phthisicis quibusdam, qui ex Erlangensibus eripiuntur, adfirmem, abusum potus Coffeae damno illis fuisse. Quodsi illum cum cereuisiae haustu commutarent, absque dubio sanitati magis meliusue consulerent.

Apparet ex iis quae hic usque protulimus, causas non nullas occasioales, quae Erlangae phthisi potissimum faciunt, ita esse comparatas, ut facillime ab iis cauere sibi queant nostrates, ita ut morbus antea multo frequentior, rarius obueniret.

§. VIII.

Idem de quavis potentia nocente occasionali phthisin frequentiorem efficiente, adfirmare vix audeo. Sic e. g. perplures panem quotidianum atque nutrimentum acquirere studentes, morbos et mortem proh dolor sibi insimul praeparant. Nullum plane vitae genus, nullum opificium meditanti mihi in mentem venit, cuius sedulum atque non interruptum exercitium ad aegritudinem quandam haud disponat. Quoniam vero vnicuique incumbit labori cuidam vacare ad vitam sustentandam, fere quoque nemo mortalium est, qui non sit ad morbum aliquem prae ceteris praedispositus. Artes autem mechanicae, quibus operam in primis nauant nostrates et fabricae, quibus sece applicant, tales praecipue sunt, quae ad producendam phthisin permultum faciunt. Hinc etiam quamdiu de pane lucrando solliciti, assidue atque diligenter negotia agunt, ad illum morbum procliuiores sunt, eosque videmus phthisi crebrius quam aliis morbis laborare.

Mala cuilibet artifici et vitae generi quasi propria et aegritudines ipsis frequentiores vberius quidem exposuerunt Cel. RAMAZZINI ^{m)} et ACKERMANN ⁿ⁾ inque elaborando hoc argumento summam operam atque diligentiam impenderunt, ast nihilominus haud inutile opus me aggredi spero,
dum,


^{m)} BERNARDINI RAMAZZINI opera omnia medica et Physica. Tractatus de morbis artificum.

ⁿ⁾ RAMAZZINIS Abhandlung von den Krankheiten der Künstler und Handwerker, neu bearbeitet und vermehrt von D. Joh. Christian Gottlieb Ackermann,

dum, habito ad nostram urbem respectu, modum quo heic phthisi faueant eamque saepe inducant nonnulla opificia, exponere in me suscipio, idque eo magis quoniam quedam circa illa me additum esse mihi videor, quae silentio praeterierunt; egregie enim monet Ill. ACKERMANN „translationes de morbis artificum et opificum quorumdam nondum omnibus numeris absolutas et tunc demum maiorem perfectionis gradum attacturas esse, si diuersarum regionum medici, obseruationes, hanc materiam spectantes, collecturi publicique iuris facturi sint.“.

§. IX.

Opifices inter abundant apud nos tibialium textores, qui ad pectoris morbos quam maxime praedispontuntur. Numerantur Erlangae 565 machinae, quae tibialium texturae inferuiunt, numerantur praeterea ex illis, qui tibialium e gossypio confectione occupantur, quotidie plures, qui phthisi detinentur. Varia nempe ratione illud vitae genus pectori inimicum evadit, ita ut mirari nemo debeat de phthiseos frequentia inter homines, qui illi fese dediderunt, quod quidem proprius considerari meretur. Nocet in primis thoracis continua percussio. Dum scilicet ope illorum instrumentorum, quae artificiofissime constructa sunt et non adeo facile agitari queunt, tibialia texunt, medium cavitatem inque ea contenta viscera violenter commoueri, facile est intellectu. Quam vero commotionem sequiter maior sanguinis ad pulmones et vasa maiora afflatus, qui, si modum non excedit, iterum efficit, quod saepe eueniare videmus, ut vasa pulmonalia nimium dilatentur



tur et haemoptysis ex *anastomosi* oriatur, quando autem vasa illa adeo fluido vitali farta sunt, ut refluxus eius impeditur, rumpuntur nonnunquam, et idem sanguinis profluvium pendet a *diaeresi* atque multo minor sanationis spes affulget. Contribuit etiam brachiorum directio, quam textura tibialium exigit ad illam accumulationem producendam, quae nempe erecta, cum trunco angulum quasi rectum sive obtusum formant. Apparet exinde causa, quare tibialium textores, quo magis assidue laboribus operam nauant, ceteris paribus eo quoque frequentius sanguinis ad pulmones congestionem et haemoptysin experiantur, ob frequentiorem nempe atque continuatam pectoris concussionem illud sine dubio euenit.

Neque vero tantummodo viscerum, quae in thoracis cauo includuntur, commotionem et haemoptysin inter mala ex illo opificio emergentia referto. Inculpari quoque illud debet ob peruersam partium ossiarum conformationem, quam saepius, inducit. Inter omnes nimirum constat, in iuuenili aetate humores potissimum ad pectus tendere, quemadmodum in infantibus eorum in capitibus vasis observari solet coaceruatio, et apud eos, qui ad annos viriles peruererunt in vasis abdominalibus accumulatio. Per illam sanguinis congestionem ad thoracem relatiuam, magis eum efformari, firmari et roborari voluit adorandi creatoris sapientia. Etenim videmus dum contingit, iuuenum pectus dilatari et robustius euadere. Quodsi autem iuuenis, qui in ea versatur vitae periodo, qua fluida per se iam videamus circa praecordia congesta; tibialium texturae impigre sese applicat, non modo iusto maiori copia eo illa allici, ita ut damna exinde emergere queant, necesse est, verum etiam

etiam turbari atque impediri salutare naturae conamen, quo partes organa vitalia continentis excolere, sive futurae sanitati consulere molitur. Fieri autem nequit, quin mala exinde saepe oriatur pectoris conformatio in subiectis, quorum pectus alias robustum atque perfectum euasisset. Pectus autem, quod depresso est, plurium malorum foecunda mater haud raro fit, quia praeter naturalem et aliquantulum eleuatam eius conformatioem, quod quidem omnes adfirmant Physiologi, nulla excogitare possit, quae motui libero et extensioni pulmonum magis faveat. Nascitur itaque ex tibialium textura; et si non semper atque statim, haemoptysis et phthisis, tamen ad illos affectus dispositio, qua simul efficitur, ut si eiusmodi hominibus olim cum morbis pectoris qualibuscumque conflectandum sit, multo difficultius ad sanitatem redeant. Ita etiam Lancisi assertum in tractatu de mortibus subitaneis p. 160 prolatum meum facere haud dubito. Tribuit nempe vitae generi quorundam artificum sedentario atque siti corporis incurvato frequentiam vitiorum, quae circa vasa maiora et cor, obseruantur, aneurysmata scilicet, polyposas concretiones et praeter naturalem canalium distributionem. Quemadmodum autem eiusmodi disformitates a viuendi ratione et negotiis, quae homines agunt, deriuari aliquando possunt, ita etiam ad phthisim generandam easdem caussas haud esse impares censeo.

Quae autem mala hucusque recensita adhuc frequentiora atque solenniora esse solent apud eos, qui ea tibialia quae ex aliquo tempore in usum venerunt et vulgo Zwerchstrümpfe vocantur, consciunt. Texuntur nempe transuersaliter, quo fit, ut brachia opificum magis extendantur.

Ex

—

Ex tali non interrupta brachiorum extensione vero, plura sanitas capere potest detrimenta, quorum sanguinis in pectoro conceruatio adque haemoptysin et phthisin maior praedispositio, haud sane ultimum est. Praeterea difficilius quoque agitantur atque mouentur machinae, in quibus parantur, ob maius pondus, quod illis addere necessum est. Hinc equidem maxime haberem in votis, ut iuuenes a talium tibialium textura plane abstinerent, eamque illis relinquerent, qui robustiori gaudent constitutione et eam attigerunt vitae periodum, qua humores *per se* non amplius ad thoracem congeruntur. Noui nonnullos, qui quaestu allesti illi labori sedulo operam nauabant et vitam honestam atque compositam agebant, et quemuis excessum sollicitate fugiebant, nihilominus haemoptysi corripi atque florida iuuentute phthisi perire, de quibus datur conjecturae locus, quod forte fatum euitassent, nisi negotio pectori adeo inimico in iuuentute vacassent. Hinc quoque concives saepius adhortatus sum, ut tirones, qui ad duodecimum annum nonnunquam vix peruererunt et tenerrimi sunt, impediant, illas machinas conscendere, quae eiusmodi tibialium texturae inseruiunt, quo consilio neglecto persuasissimum mihi habeo, phthiseos progressus inter nostrates fore vberiores. Quod si intelligere velit tibialium textorum tribus, posset lege quadam ab illa promulganda fanciri, ut tantummodo aetate prouectioribus atque illis, qui robustiori gaudent constitutione venia detur, illud opus pectori quam maxime inimicum agere, sive imminui malorum caterua.

Alia iam consideranda verit ratio, qua idem opificium de quo differuimus male afficit operarios et inter caussas phthiseos Erlangae frequentiores recenserri debet. Spargit nimi-

nimirum lana vegetabilis puluerem, qui inspiratus tussi pertinaciori, sanguinis sputo et phthisi ansam praebere potest. In hypocaustis non adeo spatiofis numerantur saepe quatuor eiusmodi instrumenta, quae textores occupant; adsunt praeterea mulieres gossypium carminantes; adsunt, quae carminatum digitis coloque trahunt. Quare etiam acrem puluerulentum ibi abundare et inspirari, quilibet facile intelligit et ipse experiri potest, si modo talem officinam intrare velit. Quando enim homines in illa atmosphaera prima vice per aliquod tantum tempus versati sunt, de anxietate circa praecordia et ingrata ad tussiendum irritatione conqueri solent. Quae cum ita sint, quamuis omnino et rite sentiam, illos opifices ob assuetudinem, quae altera natura fit, non eadem incommoda exinde pati, nihilo tamen minus, pulueri, quem gossypium in illis opificinis dissipat, aliquatenus adscribo caussam, quare tibialium textores saepenumero phthisici euadant; eoque magis id monendum esse duco, quod damna, quae ex tali aere pulverulento propullulant, facili negotio praecaueri possint, per aeris scilicet hypocausti cum liberiori commutationem et debitam conclavis humectationem.

Phthisin ex labore pulmonum haud semper oriri et non nunquam a vitio organorum digestionis et ab obstructione in systemate venae portarum pendere §. III. adfirmauimus. Per tibialium texturam vero ad hanc quoque phthiseos speciem disponi operarios, suadet ratio atque confirmatur experientia. Scimus nimirum, quando corpus humanum antrorsum flectitur, viscera in imo ventre comprimi liberoque humorum in illis motui impedimenta obstare. Quod autem eo frequentius euenit, quo magis acutus fit angulus,

qui cum femora cum abdomine formant, ideoque sartoribus et sutoribus solennius est, quam tibialium textoribus, quorum corpus, dum laboribus vacant alternatim reclinatur et flectitur. Merito itaque concludimus, opifices, qui huic vitae generi se se dediderunt, non eadem prorsus sed diuersa, et fere opposita ratione male nutririri, et, quod necessario sequitur, emaciari, quam illi quibus incumbit per totum diem trunco incuruato federe. In vltiori casu enim alimenta saepe diutius in tractu intestinorum commorantur, siue plurimum adfectuum hypochondriacorum caussam efficiunt, qui iterum phthisin inducere valent, in priori autem obseruari solet, vt ingesta ob concussionem, quam tibialium textores non in solo peatore, verum etiam et quam maxime in abdomine experiuntur, iusto citius neque satis subiecta atque immutata iterum excernentur. Quod si contingat, fieri nequit, quin corpus male nutriatur. Denegatur humoribus, qui digestioni inferuiunt debita actio in cibos ob velocem eorum transitum. Chylus autem, qui ex illis paratur, hac ex caussa crudus euadit et ad bonam nutritionem haud idoneus est, et functiones viscerum abdominalium exinde turbantur. Varia sic oriuntur pathemata, adfectus flatulenti, infarctus, obstrukiones viscerumque indurations, tuffes pertinacissimae, tandem corporis emaciatio et phthisis. Quare etiam homines, qui vitae genus exercent, quod tales abdominis concussions postulat, quibus alimentorum debita elaboratio et coctio impeditur, male nutruntur, faciemque exhibent cachecticam. Hinc etiam vix multos inuenies inter tibialium textores, qui non conquerantur aliquando de nausea et vomititione, quibusue affectus spasmodici et flatulenti, aliaque digestionis depravatae symptomata haud sint

sint frequentiora ^{o)}. Tristibus denique horum malorum se-
quelis, quando altiores egerunt radices, adnumerari quoque
debet haemoptysis et quae illi plerumque superuenit, phthisis,
vti optime demonstrauit Cel. SCHRODER ^{p)}. Patet
itaque ex iis, quae huc vsque diximus, in officinis eorum,
qui tibialium confectioni operam nauant, saepe latere cau-
sam frequentioris phthiseos, eamque vario modo ortum ex
illis trahere.

§. X.

Tres Erlangae numerantur officinae, in quibus pannis at-
que linteis pulcherrimos colores imprimunt, ita ut xylina
intea, quae olim solum ex Indiis ad nos peruererunt, refe-
ant. Permulti nostratum huic arti operam nauant. Prima
enim ex illis officinis ducentis et quinquaginta circiter ho-
minibus quaestum largitur haud mediocrem. Nostrum non
est morbos, ad quos eiusmodi fabricae disponunt operarios,
omnes ac singulos hic recensere. Ad varias nimirum aegri-
tudines illos procliuiores evadere necessum est, quatenus di-
versa quoque agunt negotia. Sunt quibus colores miscere,
atque praeparare incumbit. Sunt qui his tela tingunt. Alii
formas sculpunt, quae inseruiunt ad imprimendum. Sunt


D. 2

qui

^{o)} Ill. ACKERMANN I. c. p.
194. Veberhaupt sind bey diesen
Handwerkern die Geschäfte der Ver-
dauung geschwächt und in Unord-
nung; diese geschwächten Werkzeu-
ge können keinen andern, als einen
übelen Nahrungsft bereiten, der ein
ebenso übles Blut und vielen Anlaß

zu cachekischen Krankheiten, die
von übel beschaffenen und unreinen
Säften entstehen, gibt.

^{p)} Diff. de haemoptysi in genere
ac speciatim eius naxu cum varia
aduersa ex hypochondriis valetudi-
ne §. 9. p. 328. in Opp. Vol. II.



qui linteal colorata magis iterum expingunt (*Schillern*), sunt denique, qui expicta laeuitant, quae vero cuncta alia occasione vberius examinare et quae notatu digna apparebunt publici iuris facere apud me constitui. In praesenti autem iubet officium ea tantummodo breuissime perlustrare, ut elucescat, qua ratione phthisis quoque exinde deriuari queat.

Pigmenta quae ab illis artificibus adhiberi solent ante omnia consideranda sunt. Utuntur in primis Rubia Tinctorum, saccharo saturni, Arsenico, aqua forti, viridi aeris, e. q. f. r., quae diuersemode commiscent atque tractant. Facile autem quilibet perspiciet sanitatem eorum damna extali oper manuario capere posse varia, quae inter potissimum eminent morbi pectoris. Ita enim dum puluis inspiratur, quem eiusmodi venena agitata dissipant, pulmones irritari debent, quae irritatio tussim nonnunquam atque sanguinis sputum excitare potest. Quodsi praeterea aliquis in atmosphaera iusto humidiori commoratur, quae vaporibus acribus repleta est, eius organa respirationis omnino male afficiuntur. Quibus adde contactum frequentem talium venenorum in censem quoque venire et cachexiam illis inducere posse, qui ea diurna nocturnaque manu agitant. Quae autem omnia quotidie contingere videmus. Illi enim opifices faciem cacheoticam ut plurimum praeferunt. Conqueruntur de anxietate circa praecordia, inani ad tussiendum irritatione nec non tussi sicca pertinaciori vexantur, sanguinis denique sputum et phthisin plus una vice apud eos obseruauit. Praecipue autem puellae, quarum saepe quindecim in eodem conclavi non admodum spatio versantur, quae linteal tincta aut ea, quibus variis colores impressi sunt, adhuc expingunt (*Schillermäden*)

gen) et laevigatores in phthisin haud raro incident. Illae, ob pigmentorum exhalationes noxias atque situm corporis, quod antrorsum flexum, hi vero ob concussionem thoracis violentam et organorum quae continent commotionem, varios affectus morbosos sibi praeparant et experiuntur. Potest quidem phthisis, qua eiusmodi artifices nonnunquam eripiuntur, adscribi vitae generi luxurioso atque inordinato, cui saepe dediti sunt. Noui autem nonnullos, qui vitam quam maxime compositam ducebant atque bonis moribus, omnibus sese commendabant et nihilominus emaciati phthisi perierunt. Quae cum ita sint, potest sane illa fabrica aliquatenus inter caussas phthiseos loculis frequenter referri.

§. XI.

Alia praeterea eaque varia opicia nostrates occupant de quibus iure optimo idem adfirmari potest. Ad sunt per multi qui pileos e crinibus castorum, leporum et ouium conficiunt, ex quo negotio pectus diuersimode pati experientia confirmatur. Ad sunt lapidicidae et pelliones, qui dum puluerem, quem lapides atque pelles spargunt et crinum ramenta inspirant, tussi saepe pertinacissima corripiuntur. Ad sunt coriarii, qui pelles praeparant ex quibus chirothecae formantur. „Coriarii antem, vti egregie monuit „b. DELIVS „, praeter aqueos et putridos exuuiarum ani „malium copiosos vapores, inter quos opicia tractant, „et adstringentes ex vitriolo et corticibus quernis et ab „ietinis, et acres alcalinos e calce viua, hauriunt, pectori „, ini-

q) in diff. cit. p. X.

,, inimicos., Facile itaque exinde explicari poterit, quare adeo saepe phthisici moriantur.

Quoniam autem ardi temperis limites impediunt, quo minus hancce lactationem de causis phthiseos locis frequentioris absoluere possum, quae dicenda sunt de nonnullis officiis, deinceps aliis rationibus, quae morbos pectoris nonnunquam apud nos efficiunt, e. g. de lactatione iusto diutius protracta, de phthiseos contagio et affectibus catarrhalibus neglectis, ant remediis expectorantibus intempestive tractatis, ad aliud tempus differre cogor. Interim si accienter ex iis, quae huc usque protulimus, apparet, certam phthiseos Erlangae frequentioris, non in Clima de cuius salubritate quilibet facilis negotio semetipsum convincere potest, sed in homines plurimum cadere.

5/62 be

8/62 82

